THRENI EXONIENSIVM
IN OBITVM

ILLVSTRISSIMI VIRI D. IOHANNIS PETREI, BARONIS DE WRITTLE, Filij honoratiſſimi viri D. GVILIELMI PETREI ordinis aureę Periſcelidis Equitis clariſſimi, & quatuor Principibus à conſilijs ſecretioribus.

Qui Exonienſe Collegium octo Socijs, amplis reditibus, plurimis privilegijs, auxerunt liberaliter & ornârunt, Benefactores, Mecænates, & Patroni munificentiſſimi.

Per ejuſdem Collegij Alumnos & ceteros ſtudioſos.

OXONIÆ,
Excudebat Joſephus Barneſius. 1613.

AD ILLVSTRISSIMVM BARONEM D. GVLIELMVM PETREVM, Clarissimi nostri Mecænatis JOHANNIS PETREI Baronis de WRITTLE, Hæredem dignissimum.

EXonidum *lachrymas (quid enim nisi talia restant?)*
Accipias magno non Patre (Baro) *minor.*
Ille quidem vivus nostris fuit ara *Camœnis,*
Cui cecidit semper victima grata Lari;
Nunc cinis est, cinis & nisi Te Phœnice, *resurgat*
Qui iacet, heu! spes est, nostra futura Cinis.
Non hic sunt fictæ lachrymæ pro tempore natæ,
Externam stringit nec plaga nostra cutem.
Quas aluit plangunt Musæ, quos fovit Alumni
Solvimur in gemitus, Iustaq; iusta damus.
Ipsa sedet sparsis Exonia *mœsta capillis,*
Dumq; petras luctu concutit orba sedens;
Eccho respondet, quem luges ille Petrus
In nato *vivit;* Petra *sit ille tibi.*
Te vult diva loquax (vir præstantissime) Musas
Nec te pœniteat more fovere Patris.
Sic crescant tituli, sic maior fama nepotum
Splendeat, & prolis gloria vincat Avum.

Memoriæ, Illustrissimi Baronis, Domini IOHANNIS PETREI *Mecænatis mei benignissimi S.*

SIc fit! celsa ruunt, sed non tamen omnis eâdem
Sorte cadit; dignos Musa perire vetat.
Hic talis, titulis major, quem flemus ademptum;
Cui vix ostendunt secla priora parem.
Illum non cepit fallacis gloria mundi,
Præcipuè in votis publica cura fuit.
Vt taceant homines, *Exonia* nostra loquatur
Parva diu, sed *Iam* penè *petræa* domus.

Mœrens ponebam IOHANNES PRIDEAUX
S. Theol. Doct. & Coll. Exon. Rector.

ANnulus est annus, redeunt & in ordine luctus
Mensibus *Autumni*; quæ mala fata parant?
Principis HENRICI morbum meditabar; at ecce
Causa alia est flendi, Baro PETRÆVS obit!
Agnosco Heroem; *Dominum* qui semper amavit,
Cum *tali* cupiens *Principe* posse mori.

DANIEL PRICE *in Sacra Theologia Doctor*
& Exon. Coll. Commensalis.

CVM *Iusti pereunt,& virtus* pulsa *recedit*,
Exclamat Psaltes,*O Deus affer opem!*
Hic Threnus meus est, te *Mecanate* cadente,
Quicùm virtutes tot cecidêre simul.
Affer opem! Deus alme) tuis, vt Filius Heros
Pergat, quò ducit linea recta Patris.
Vt Domus *Exonidum* tali pietate, patronum
Mutatum inveniat, non cecidisse, suum.

GVIL. ORFORD, *S. Theol. Bac.*
Baron. Petrei Alumnus.

NIL supereſt, abiit! vox interrupta querelas
Effundit fruſtrà, parcere Parca negat.
Dum cupit effari, ſtupet, & mens anxia curis,
Nec benè quid taceat, quidvè loquatur, habet.
Sed volat invito genio dolor, impulit ardor,
Et trahit averſas ad mea vota Deas.
Nam Mecænatem qui te non luget ademptum,
Exulet à Caſtris (dia Minerva) tuis.
Nec refero, nec enim noſtri ſunt iſta cothurni
Immenſas laudes dicere (*Baro*) tuas;
Sufficit vt fateat ſtudijs quòd ſemper aſylum
Depreſſis noſtris, petra Petreus erat.
Hæc igitur gratæ mœrens libamina mentis,
Conſecrat ad cineres (ſumme Patrone) tuos;
Ille vtcunq; indignus, at haud ingratus alumnus
Quem mors non faciet quin ſit, vt ante, tuus.

Ad

Ad nobilissimum Iuvenem, D. Johannem Petreum *Illustrissimi defuncti Baronis filium, Mecænatem mihi superstitem, omnibus nominibus colendum.*

Nomen habes tanti, Patris, sed & omen habere
Vt faveas Musis, te tua facta docent.
Expertus loquor ipse, tuo qui munere felix
Emersi, & *Patris* factus alumnus eram.
Nunc velut hæredi redeo tibi nominis ejus.
Qui fuit ante tuus, sic cupit esse tuus.

EVERARD. CHAMBERS, *S. Theol. Bac. Baronis Petrei alumnus.*

MAxima magnanimo laus est Chironis alumno,
Quòd sua Mæonius scriberet acta senex.
Tu PETREIE cares tanto præcone Poeta,
Qui te laudaret, non satis vnus erit.
Hinc quia te laudare satis, nulla agmina possunt,
Thespiadum satis est te doluisse choros.

RICH. COLLIER *in Art. Mag. Coll. Exon. Socius.*

Αἶ, λῖ, μουσοτρόφης τεθνήκε Πετρήιος ἡρῶς
Μοῦσαι (τεθνήκεν) κλαίετε Σικέλιδες.
Κύδιστος, κάρτιστος ἀνήρ, μάλα καὶ πολύμητις,
Ἐις νεκύας κατέβη, δῶμα τὸ σηπεδίνος.
Ἐλπίδα ἀλλὰ τέην μ' ἐκλεψε μιαιφόνε πότμε,
(Θαῦμα) θάνων πελέται τρίπτυχος, εἷς πρὶν ἀὼν.
Πνεῦμα θέῳ ζώει, κεῖται δὴ σήματι σῶμα,
Ἐυποῖια μένει ἐν μερόπεσσι βροτοῖς.

Apo-

Apostrophe ad D. Gulielmum Petreum *Baronem superstitem.*

Quæ patri deerant, (deerant quibus is superesse,
Dante Deo, poterat) det tibi lustra Deus.

De Insignibus Petreæ *Familiæ Exoniensi in horto thymo delineatis.*

Musa tuis gaudens Insignibus Exoniensis,
Herbarum areolis suavibus, ista dedit.
Sic floreſcat honos, redivivaq; gloria tanti
Patroni, in longos creſcat, vt herba, dies.
Quêis ne tempus edax tandem quid detrahat, herba
Temporis (id vox vult Anglica) nomen habet.

Io. Warmestry *Art. Mag. Baronis Petrei alumnus.*

NON maior *Solomone* pio, ſpes orta *Davidi*;
Cui tamen ante alios Pacis oliva datur:
Quàm ſpes & ſplendor *Gulielmo* nata *Petræo*,
Cum primùm hic patriæ vivere cœpit honor.
Ecce tamen tantus fato ſuccumbit, & Anglis
Mortis adeſt ſpectrum, qui modò Martis erat.
Flete piæ Muſæ, Muſarum ſumma columna
Interiit, lapſum eſt *Exonienſe* decus.
Lapſum eſt? interiit? non interit inclytus Heros,
Sic, immortalis, qui beneſecit, erit.
Vita tibi æterni monumentum ſtruxit honoris,
Quod mortis rabies ſternere dira nequit.

Io. Vivianvs, *Art. Mag. Coll. Exon. Soc.*

O

ITE Elegi tristes, Mecænatisq; dolendas
Exequias vestri, triste celebret Epos.
Quippe æquum est illi justum hoc pręstare tributum,
Qui vobis primò hoc solvere posse dedit.
Scilicet ad Musas ea munificentia alendas
Illius insignis mente manuq; fuit:
Quam certè non tam dedit acquisita Petreo,
Sed stirpis virtus ingenerata suæ.
Testatum hoc faciunt tum munera Aviq; Patrisq;
Et pietas nunquam commemorata satis.
Quæ ne deficerent ævo deleta voraci,
Pignora habet famæ non moritura suæ:
Perpetuos nempe hos reditus, quibus *Exonienses*
Musæ habeant studiis tempora amœna suis.
Sic non tam scriptis, quàm vivâ voce, Petrei
In cuncta excrescet secula fama vigens.
Et quâvis petrâ Petrei nobile nomen
Firmius in longa posteritate [redacted] cluet.

GV. BATTIS HILL, *Art. Mag. & Exon. Collegii Socius.*

Somnium Tragicum.

I*Sidis* ad ripas, cum nuper vinctior artus
Invasit sopor vsq; meos, curasq; diurnas
Somnia luserunt sua per spectacla, Theatrum
Adspexi Tragicum lugubri flebile vultu,
In quo prima suas partes Mors lusit, & inde
Heu comptum gravitate Senem truculentior atro
Transfixit jaculo: Iaceas (ait ista) *Petræe*,

Nec me perpetuis tua fama insculpta columnis
Nomenvè æternum, quod vincit tempora, vincet.
Dixit, & heu vires quassas horrore videres,
Cum jam fata senem plorandâ morte tulissent
Petræum; sic hæsit iners mihi lingua, putares
Saxificæ subitò faciem vidisse Medusæ.
Tum mox in scenam Triades mœstissima Matrum
Descendunt, fundunt q; suos in funera planctus.
Hei mihi (sic etenim primum *Devonia* luctus
Orditur Matrona gravis, cui tetrica rugas
Tristitia incussit curisq; onerosa senectus.
Nec tamen abstulerant speciosam tempora formam;
Nec vestis formosa fuit, sed vultus, vt ipsam
Arcadicos inter iures vixisse penates.
A dextrâ lævâq; suas videt inclyta Nymphas,
Thamaram & *Exonijs* gaudentem mœnibus *Iscam*,
Quæq; recondiderat stanni limosa fodinis,
Dertam, triste caput, cum multis agmine denso
Fluminibus vatum sacris & carmine sylvis.
Ex hac deduxit felix primordia nomen
Petræumq; genus, cuius monumenta per annos
Perpetuos memoranda manent, dum Oxonia doctos
Nostraq; sylvestres foveat *Devonia* Musas.)
Hei mihi! dura mihi debes, ah dura Nepotem
Petræumq; mihi debes (*Essexia*) nomen;
(Dixit) redde mihi vel sero funere famam
Et genus; excoluit quod nos & nostra *Petræum*
Si tua te pietas plures potuisset ad annos
Ducere, vera Patris si te possessio virtus
Petrææq; decus stirpis Doctrina tenuisset

Nulla

Nulla tibi tumulum, nec magno fata Parenti:
En cecinêre tuas fluviorum murmura laudes
Arva nemusq; tuas, montes vallesq; sonabant,
Te juxta placidos pastor deprædicat amnes
Tityrus, & Corydon, Lycidas, & dulcis Amyntas
Concurrunt ramoq; leves decerpere frondes,
Contenduntq; manu sparsos contexere flores,
Vt possint viridi caput hoc redimire coronâ,
Quòd nunc lugemus confectum: linque sonoros
Linque mihi dixit miseros *Essexia* planctus
(Deformis mœrore, tamen cultissima Mater
Cum nuper vivo frueretur fausta *Petræo*)
Sic mihi præripies istos (*Devonia*) luctus?
Nec pudet indignas lacrymas fudisse? quid istud
Ad te spectaret munus? Tu Pascua cures
Et decurrentes jucundo murmure fontes:
Sunt pecudes, sunt arva tibi, sunt rura colonis
Grata, decent humeros hæc, hæc gestamina nostros.
Quis tamen hos tantos possit sufferre dolores?
Thamisis & nostras felix attemperat vndas,
Quæ *Musas* dorsoq; graves gestare poetas
Cernitur, & * *Phrygias* (si vera est fama) ruinas.
Est numerosa mihi proles, cultissima vatum
Agmina, sunt Musæ, sunt juxta flumina Nymphæ,
Deficiunt tamen ista meis (*Devonia*) tantis
Luctibus: en raucas hærentes gutture fauces
Conspicis: in vastum possis tu solvere Pontum
Agricola, & meritas *Petræo* solvere planctus?
Ah mihi! respondet tristi *Devonia* vultu
Invidias ne quæso meum (formosa) dolorem

* Londinum Troynovant.

Incultæq; ſinas precor hæc lamenta: triumphos
Petræo ceciniſſe foret mihi gratius: iſtis
Eſt tamen in lacrymis ſua laus, & judico noſtram
Petræum coluiſſe, licet ſit ruſtica, Muſam,
Et licet incultam tamen hanc agnoſcere Matrem.
Nec ſic Diva parens Muſarum *Oxonia* de te
Sum merita, vt totam mihi tanto in funere laudem
Altera præripiat: Debes mihi docta *Iuellos*,
Debes *Hookeros*, & quos deprædicat orbis
Debes *Rainoldos*: Immenſas *Dracus* in vndas
Solvit, vt ignotas vobis excluderet oras,
Anglia victrices ageret dum fauſta triumphos.
Ille mihi partum, mihi magna Britannia *Dracum*:
Clara reportavit viridem hîc *Devonia* palmam;
Hincq; *Stapletonios* felix *Exonia* muros
Hincq; trahunt celſas *Wadhamica* tecta columnas:
Cujus & heu mortem nuper flevêre Camœnæ
Venit in has noſtro productus ab vbere terras
Clarus *Bodleius*: Noſtros nec ſtemma *Petræum*
Spreverit hos olim felix inviſere montes.
Hos fontes, hos ille lacus hæc rura colebat,
Hoc *Devoniadum* deduxit ſtemmate nomen.
Surgit ad has veneranda parens *Exonia* Matres
Clara *Stapletoni* monumentaq; fronte *Petræi*
Magna gerit, cujus felices occupat arces
Fama, tubamq; ſuis crebram admoviſſe labellis
Hanc iuvat, adq; latus prædoctæ ſperma Minervæ
Stabant turmatim Matris numeroſa iuventus.
Nec tamen externâ facie, ſed moribus eſſe
Culta ſtudet; nec enim turgentes venditat arces

Clara

Clara, sed ingeniis pollet: non picta, sed intùs
Continet immenso stipatas agmine Musas,
Faustaq; Nobilium fœcundo stemmate turbam;
Has turres, hos ille lares *Henricus* amabat,
Henricus, quem nigra diù lugebat, & ipsos
Corde premit luctus, nec adhuc exporrigit ora.
Has mihi *Petræum* Musas auxisse fatentur
Perpetuo mœrore chorus, lacrymisq; soluti
In rivos abeunt, charum deflentq; Patronum.
Hei mihi (tarda quidem præ luctu & mœsta locuta est,
Namq; tumor lacrymæq; genas tenuere) Sepulchrum
Reddite deflenti Patrem magnumq; Patronum,
Reddite dilectos cineres vrnamq; beatam.
Non dare me charo quisquam vetat oscula Patri
Quamvis defuncto: jactas (*Devonia*) Stemma
Nobile *Petræum*; jactas (*Essexia*) Partum
Et fortunato possessas omine terras:
Esto: sed *Exonidum* Musis indulsit amorem,
Meq; sinu fovit suavi gratoq; sepultum.
Linquite lacrymulas iniustæ linquite Matres,
Et fluere in rivos nostros permittite fontes.
Nam voco iure meas: in cuius commoda laudem
Magna dedit, nulloq; quidem peritura sub ævo.
Appello manes, & tanti nominis vmbram,
Sive per astra volet, seu nervis nostra solutis
Inspiciat, gemitusq; graves, sacrumq; sepulchrum:
Quàm me censeret suavem! quàm chara putarer!
Quàm me dilectis inopem complexus & vlnis!
Nec priùs *Exoniæ* lactandus ad vbera Matris
Filius accepit, clarum cantare *Petræum*

Quàm poterat, digitoq; meos monstrare Penates:
Nec sine *Petræo* scierit, velut indice, muros.
Hic mihi visa fuit scenam calcare tremendam
Fortunata anima & *Petræi* sola superstes
Effigies: quò tendit (ait) lis? sistite matres,
Deq; meo nolite diù certare sepulchro.
Tu mihi largita es *Devonia* chara, Parentem
Tu me divitiis (*Essexia*) conspicis auctum:
En vobis pariter natos fidosq; Nepotes,
Et qui virtutis referant monumenta Paternæ
Rellinquo; Tuq; Alma meis *Exonia* Mater
Si quid apud vestros feci, meruiq; penates,
Haud mihi deficient vel quovis tempore grates;
Haud mihi deficient doctæ celebresq; Camœnæ
In quarum scriptis, pereant cum secula, vivam.
Dixit, & in magni sese dare tecta Tonantis
Cernitur, vnanimes & nunc in funera matres
En coeunt, lacrymisq; fluunt, sternuntq; sepulchrum.

Collegium Exoniense.

Petra mihi *Petræus* erat Musæq; feruntur
Illius in charo delituisse sinu.
Ah heu Petra cadit! nobis tu Petra superstes
Donec ab hac alter stirpe *Petræus* erit.
Et nos vnanimes fraternâ voce precamur,
Vt referant primum, stemma perenne, Petrum.

Πετραῖος βίον εἶχε τριπλοῦν; εἷς ἐστὶ δὲ φαιδρῆς
Φήμης, Ἐξονίοις ἡ σελαγίζε πέτροις.

Δεύ-

Δεύτερος οὐρανίοις ψυχὴς ἔκλαμψεν ἐν ἄστροις.
Τρίτος ἐν ὡραίῳ θάλλε (Πετραῖε) γενοῖ.
Ἐξονίας περὶ σοῦ βλέψεις σκιὰν (Ἀῤῥαῖε) κούσας,
Καὶ τεὸς ἀκούσει μιγ' Ἑλικῶνα τάφος:
Πετραῖος παράδειγμα νεοῖς καὶ δόξα γερόντων
Οὔνομα μαμαρέοις κλεινὸν ἔγραψε πέτροις.

NAT. CARPENTER, *Art. Mag. Exon. Coll. Soc.*

O Deus, ô famæ meritò pars maxima nostræ
Mecænas! pelago meritorum vela repandam;
Nec tamen illa meis numerando versibus essem,
Non, mihi si linguæ centum sint, oraq; centum,
Ferrea vox esset; Nec ego te carmine ficto,
Atq; per ambages, & longo exorsa tenebo;
Sponte suâ quæ se tolluut in carminis auras,
His Mecænatis meritorum vela repandam.
Scilicet & laudes fas sit numerare paternas,
Cœpta Patris fas sit per te digesta vocare,
Atq; augmenta Patris per te magis aucta sonare,
Sic Mecænatis meritorum vela repandam.
Quicquid id est, Mater (quod magnum est) *Exoniensis*
Teq; tuiq; patrem, patres vocat atq; patronos;
Dico iterùm magnum est; namq; is proventibus illam
Auxit, gratuitóq; prioribus octo Scholares
Iunxit, & æterno sanxit cœnobia censu.
Hæc Pater: & Natus roborâsti singula scriptis;
Nec toborare satis: via Patris quin tibi trita est,
Materiamq; tibi (quamvis satis ille benignus)
Servavit Pater, vt Natum præstare benignum

Pa-

Patris in inceptis cantarent *Exonienſes*:
Munera ſeu tua, ſeu te munificum magis iſta
Patris fecerunt, tanta admirando reſolvam.
Et precor, vt quotquot ſimiles tibi ſint in honore
Sic ſimiles tibi ſint, & erunt ſimiles in honore.
Hæc ego pro modulo, (quamvis majora mereris)
Carmina compoſui; quid & hæc mea carmina dixi?
Compoſui lacrymas, alij dent carmina; luctu
Singultu, gemitu, cruciatibus, atq; querelis
Sarcophagum, feretrumq; tuum decorare paravi.
O decus, ô famæ meritò pars maxima noſtræ
Mecænas! pelago lacrymarum vela remittam;
Nec tamen has noſtris numerando verſibus eſſem,
Non, mihi ſi linguæ centum ſint, lumina centum,
Vox aquea; hæc nec enim lacrymis tibi profero fictis,
Namq; mihi Patronus eras: viſu & vice primâ
Me deſignaſti tenerum Exonienſis alumnum,
Quod magis evincit, ſociumq;, tuumq;, dediſti;
Iſta nec in laudem propriam, nec dicier hic eſt,
Feciſti; nomenq; Dei, famamq; paternam
Curaſti; ſic ſic meritorum vela repandi,
PETRÆI ſic, ſic, lacrymarum vela remiſi.

GEO. PETREVS *Art. Mag. & Baronis Petræi alumnus.*

VIta quibus nulla eſt, petris longiſſima vita eſt,
Humani at generis quàm propè vita nihil?
Gens PETRÆA tibi plaudam, non lugeo, vivis
Quæ factis, etiam nomine vive tuo.

Pe-

Petræes,(Magne Senex,)& sis tibi tu Monumentum,
Qui factis celebras funera tute tua:
In te scripta tui tumuli est inscriptio,& à te
Gestorum titulos mortuus ipse geris.
Gesta hæc quisq; semel numerat,finita negabit;
Ordine qui numerat singula,fessus erit.

ALEX. IERMYN *Art. Mag. & Exon. Coll. Socius.*

Epitaphium Petræi.

STa,plora,reverere,neq; hinc abscede Viator,
Donec adoratus sit,sacer iste cinis.
Ecce characteres PETRÆI marmore scriptos
Sculpserunt istos Exonidum lachrymæ.
Sculptores mirare? piis ignosce poetis;
Metro parce malo,quippe litura fuit.

MATTHIAS STYLE *in Art. Mag. Exon. Coll. Soc.*

In annum nigrum. 1613.

NIL præter lachrymas,suspiria,funera,fletus,
Singultus,luctus,gemitus,epicedia,planctus?
Nil præter morbos,febres,mœstasq; querelas
Annus habet,niger annus?an immemor ortus ephebus
Phœbus ab eoo numquamnè refulserit axe?
Anno *Bodleius*, *Princeps*, *Petræus*, in vno?
Anno tot magni,magnatum tantus in vno,
Heroum tantus cumulus? niger anne volutas

Muſarum in lacrymis? Muſas ſpoliando triumphas?
Orbatas Muſas claris ſpoliando Patronis?
Annè magis niger anne bonis nocuiſſe valebas
Muſis, quàm tales, tales tollendo patronos?
Muſis, quàm tales, tales tollendo parentes?
Henricos tot mundus habet, quot in æthere Soles,
Bodleios tot habet, Phœnices quot tenet orbis,
Petræo at ſimiles ô det Deus oro *Petræos*.

Exonienſe votum Anagrammatiſticum
ad Baronem PETREVM *ſuperſtitem.*

PETREVS
SVPERET

Petreus *ſuperet* ſuperemineatq; Parentem,
Petreus *ſuperet* natiſq; anniſq; *Petreum*,
Petreus *ſuperet* clarâ virtute *Petreum*,
Petreus *ſuperet* Muſas peramando *Petreum*,
Petreus *ſuperet* gaziſq; opibuſq; *Petreum*,
Petrei vt *ſuperent* in nos benefacta *Petreum*,
Petreis ſic nos grati ſumus *Exonienſes*,
Grati *Petreis* & qui naſcuntur ab illis.

THEOPHILVS GALE *in Art. Mag. Coll. Exon. Socius.*

NOn ego ſuſpirans, lacrymarum flumina fundam:
Non fons triſtitiæ, noſter ocellus erit.
Non mihi ſingultus, gemituſvè in pectore clauſi:
Intima non cordis viſcera cura premit.

Non

Non mea ſarcophagum, non pingit *Muſa* ſepulchrum:
Non dictat querulos noſtra *Camœna* modos.
Non cano, quòd cedant fatis *Petri*, atq; *Petræi*:
Quòd nihil arbitrio, ſtetvè, cadatvè, ſuo.
Ecce ego lætitiæ propono emblemata, palmam,
Victorem, vitam, fauſta trophæa ſequor.
Ecce voluptatem, reſerataq; limina mortis:
Et *Ditis* rabidi clauſtra ſoluta cano.
Vivit enim, vivetq;, nec vnquam credo *Petræum*,
Tam benè qui potuit vivere, poſſe mori.
Quî benè conſuluit *Muſis*, qui vivus alumnis
Munera munificâ contulit ampla manu:
Hunc fato extinctum *Charites* virtutibus ornant,
Muſarumq; cohors docta perire vetat.
Quod ſolet eſſe alijs tumulus, buſtum, vrna, ſepulchrum,
In queis vermiculos putre cadaver alit:
Huic aram, templum, monumentum, & limen honoris,
Huic regnum *illuſtri*, dicimus eſſe, *viro*.
Antè ſuum peragent cœleſtia ſydera curſum,
Antè dies nox, & nox erit atra dies.
Antè retrò ad fontes *Simois Xanthuſq;* recurrent,
Tygris, & *Euphrates* flumina pigra dabunt.
Antè canis leporem, lupus agnam, aut vrſa cicadam,
Et fugiet tenerum torua leæna lupum:
Inclyta quàm pereat generoſi fama *Petræi*
Aut nos immemores noverit eſſe ſui.

IOH. CONANT *Coll. Exon. Soc.*
& in Art. Mag.

CHorus Dolentium & Gementium pius,
Et aureas Camœna ſcindito comas.
Et ipſa Pallas, ac Apollo Delphicus
Adeſte veſtibus ſtoliſq; funera
Decentibus: loquatur ipſe amictus hic
Doloris, ac amoris intimi malum.
Modoſq; vos lyræ ſonate flebiles.
Dolete nobilis Baronis exitum:
Patronus, ac amicus, & columna nos
Relinquit, atq; veſtra tecta deſerit.
Quis ergo planctus, & dolor ſatisfacit?
Apollo, præ gravi dolore, jam ſtupet:
Et artis immemor Camœna jam ſilet:
Suamq; Pallas odit alma Muſicen.
Mori Thalia vellet, & Minerva jam
Cupit mori: Necemq; Phœbus expetit.
At illi, Apollo ſeculum novum dedit;
Honorq; poſthumus ſuperſtes huic manet:
Et inde, Gaudium redit dolentibus.

Nec tu Melpomene, tam chari oblita Patroni,
Exequias illi, Iuſtaq; ſumma neges.
Qui vivens, Muſas gremioq; ſinuq; fovebat:
Mortuus à Muſis jure colendus erit.
Iam triplices fati ſecuerunt fila ſorores,
Duraq; tam digno jura dedére viro.
At vos, iſta novem prohibentes jura ſorores
Illum Lethæis eripitote vadis.
Quiq; vel extinctus Muſarum vita videtur,
Extinctus veſtrâ jam quoq; vivat ope.

Floreat in terris, vivusq; per ora feratur:
Sic fama invitâ morte superstes erit.
Vixit in hoc vno pietas, virtusq; Parentis:
Sic Pater in charâ prole superstes erat.
At quoniam nunc ambo simul moriuntur in vno:
Per Musas iterùm vivat vterq; pias.

Ad nobiliss. virum Dominum Gulielmum Petręum *Apostrophe.*

Vt primum nostras rumor pulsaverat aures,
Nos nostro Phœbo, Te caruisse Patre;
Flevimus extinctum, lugubri voce, Parentem:
Ast oritur Phœnix, hoc moriente, novus.
Thura damus superis, quorum bonitate benignâ
Successor Patri Filius alter adest.
Nomine Avum referens, zelo pietatis vtriq;
Proximus: his autem non prior alter erat.
O mihi si liceat, tantâ latitare sub vmbrâ;
Tutus ab invidiâ, tutus ab insidijs!
Quamq; mihi reliquis sit fas optare salutem;
Quæ vivat, Genium debet habere domus.

SAM. COSENS *in Art. Mag. Baron. Petrai alumnus.*

Epitaphium (quale prodire potuit è mediâ turbâ negotiorum) in honoratiss. Baronem Petreum *dignitatis & munificentiæ Paternæ hæredem de Exoniensibus suis optimè meritum.*

ORE fave, streperóq; pede abstine Amice, *Petraus*
Deposito hìc somnum corpore *Ianus* init.

Patris Equestris honos; genitore Illustrior Hæres,
Auctior & titulis, nec minor est meritis.
Et pius, & doctus, rerumq; peritus & artium
Extitit, et verax, & bonus, & sapiens.
Ære patrocinioq; inopes, Musisq; dicatos
Inprimis fovit, sed magis *Exonidas*.
At cave sis, iterùm moneo, turbare quietem,
Ne functum credas, quem modò somnus habet.
Viventi gratere magis. Ne rideat hic te,
Vel flentem obiurget; Hospes abi hinc properè.

R. Amyt, *Coll. Exon. Socius in Art. Mag.*

TE (*Petræe*) licet Pietas, & candida virtus,
Religio, & veræ nobilitatis honos,
Quæq; aliæ decorant Heroica pectora dotes,
Fecêre in terris delicias superùm:
Tu tamen (heu properè nimium!) terrestria linquis,
Et repetis patrios (cœlica regna) lares.
Illic quippe piæ vitæ, & sinceriter actæ
Præmia, securus non peritura tenes.
Gratetur quamvis lætis *Exonia* rebus,
Gaudeat, & summis quòd potiare, bonis.
Ipsa tamen mœret, tanto spoliata Parente,
Et lacrymis cineres diluit usq; tuos.
Ast quoties gratâ repetit tua munera mente,
Tam genitum gaudet, quàm periisse dolet.

Io. Balcanqvall, *Art. Mag. Baron. Petrei alumnus.*

In-

Muſa. INuida, quid revocas deſuetas Parca querelas?
Allicis & laſſas ad tua penſa manus?
Huccinè me revocas, *Petrai* vt planctibus vdis
Funera concelebrem? (nî fera corda geram.)
Et mea præ reliquis effundant lumina ſalſos
Ac largos rivos? & riget vnda genas?

Parca. Hùc revoco, ad lacrymas, ſic mens mihi barbara ſuaſit,
Dîaq́; quéis poteram parcere fila, ſeco.
Caucaſeæ cuî non ſunt fibræ, hic luget ademptum
Petreium, & cineri triſtia juſta dabit.

Muſa. Siccinè ſanctorum fautorem, tam moderatum
Tolles, cuî æternos juſſimus eſſe dies?
Illum, cuî tantum Schola ſe debere fatetur,
Quantum Muſarum ſors meruiſſe ſtupet?
Illum, qui placido præbebat proflua ſucco
Vbera, jejunas vt ſaturaret oves?
Cujus gymnaſio tot profluxêre diſerti,
Quotquot equo Phrygio corpora magnanima.

Parca. Singula quid repetis? repetita minora videntur
Eſſe ſuis meritis: nil tamen iſta movent;

Muſa. Ergo querar, lachrymando querar, fata invida Muſis!

Parca. Vſq; tamen ſemper, fata inimica manent.

Muſa. Sufficiunt imbres? vel cœlo poſcimus vndas?
Nil nimis; at nimis eſt, quod petra tanta ruat.

Parca. Quod ſupereſt (Muſæ) lugubria ponite plectra,
Sitq; pio cineri pax & amica quies.

Muſa. At cinere ex iſto Phœnix naſcatur vt alter
Dent ſuperi, exemplar qui pietatis erit.
Et licet abſtulerit Deus hunc, generoſa propago
Vivat, cui longos det Deus eſſe dies.

Nec

Pareæ. Nec frustrà lacrymâsse putes; enascitur alter
Phœnix: sic primi damna rependo Ducis.

ALEX. HARRYE *Art. Mag. Probationar.*

INclyte nobilium splendor (generose *Petræe*)
Cujus ad exequias pulla caterva gemit.
Si probitas, pietas, virtutes, nobile stemma,
Linguarum numerus, forma venusta, lepos,
Si poterant rigidas, pia vota movere Sorores,
Si poterant nostræ prævaluisse preces;
Secula cornicis (Musarum magne Patrone)
Vixisses: vitâ quis magè dignus erat?

IO. POLWHEELE *Mag. Art. Socius.*

QVis furor in Proceres, sævissima vipera nostros?
Tun' toties decus Imperij, talesvè triumphos
Dira refers? (Musis proh fati pallida tabes!)
Dic quâ Tisiphone? quibus exagitare colubris?
Cum pecus, & dominos communi clauseris vmbrâ.
Credideram cecidisse tuas ad vulnera vires,
Dum jacet HENRICI miserandum & flebile corpus;
Fallit at incautum pietas: (quis non ea fleret
Myrmidonum, Dolopumve?) duos premis insuper, inter
Anglorum Heroas, notissima sydera, dios.
Bodleio struis exitium, quo justior orbe
Non erat in toto, Oxonię nec gratior vllus.
Petræo jam busta paras, quo sanctior orbe

Non

Non erit in toto, *Exonia* nec gratior vllus.
Vsqueadeò molire nefas? mors morte pianda est?
In scelus addendum scelus est? in funera funus?
Heu miserum! quàm præcipites labentia casus
Secla agitant? de tam magno superesse *Petreo*
Nescio quid visum est (dii sic mutastis et illum)
Qui cinis exiguus gelidæq; simillimus vmbræ est.
Fortunate jaces Musis & Apolline dignus,
(Musâ quæ tragico proclamat mœsta boatu).
Ponat Apollo chelyn, nostri nec vita *Petrai*
Absq; tuo gemitu, volet indefleta sub vmbras.
Ast vos sanguineæ (dolituro parcite) Parcæ
Δῶτο κρότον Libitina rogo bustoq; *Petrai*,
Et quæ dempsistis vitæ, date tempora famæ?

TH. CHAPIN, *Art. Bac. Soc.*

ירחנן פתרוש
חנון ירתר פש

ב יתר פש חנר בהניף
ג רמנחות לנר בחתת
ד רנו רזם שם רדבר
ה נצד הצר זה ושמעו
ו נצא תצא עד לשמש

NATH. NORRINGTON
Art. Bac. Probationar.

Anagramma.

IOHANNES PETREVS
Heilne es Patronus.

HEi! nec quid matri sit tristius Exoniensi,
Ne, sed & hoc durum est velle negare tibi,
Es, sed eras nobis testentur munera, summus
Patronus, nec es, hinc est dolor hic quòd eras.

IOH. BAYLY, *è Coll. Exon. alumnus Bar. Petrei.*

Ad Exoniense Collegium.

NE Mecænatem doleas (domus inclyta) ademptum;
Petra jacet. certum est, nec tamen orba manes.
Hæres ecce tuo nutritus lacte tot annos,
Nam *Matris* non vult immemor esse *suæ*.

SAMP. PRICE, *in Art. Mag. Coll. Exon. Commensalis*

ERgò fuit nostri decus immortale Lycei
Petræus jaculis, Atropos unca, tuis
Prostratus? fuit. heu! summis Natalibus ortus,
Cui similem nusquam Solis equile videt.
O dolor! ô lacrymæ! Quis enim tam pectore duro,
In tanto lacrymis quin riget ora malo?
Et sua convaset quasi cras moriturus, ubi istum
Tollere conspiciat tristia fata virum?
Sic ait, & madidos abstergit præfica ocellos,
Plorare Heroum nil nisi sueta necem.

Lon-

Longè alia at noſtrum deceat conſtantia pectus,
Nos ad Muſarum qui ſapimus Genium.
Petreo ſciderint fatalia ſtamina Parcæ,
Quid tum? Cui gratum nil magis eſſe poteſt.
Appulit in portum tot fatis jactus acerbis,
Ejus & atratos effugit umbra rogos.
Jure ita; tot doctis qui expendit lautia Muſis,
Æternum à Muſis fœnoret ille decus!

FRID. DORVILLIVS *Gener. Germanus.*

SIc vbi fata vocant omnes moriamur oportet,
Vna etenim lex eſt omnibus, eſſe, mori.
Sic vbi fata volunt, periit *Petræus*, & illo
Concidit *Exonie* Maxima petra Domus.
Quid tumulo tegitis? tegitis quid marmore corpus?
Fama illi tumulus, gloria Marmor erit.
Quicquid habet pietas, quicquid vel ſplendida virtus,
Debetur buſtis, exequiiſq; tuis.
Dumq; piæ Muſæ *Petræi* funera lugent,
Ne videatur ei grata caterva minùs;
Dum Dryades, Nymphęq; pię, Chariteſque ſepulchrum
Exornant violis, purpureiſq; roſis;
Dum mœrent alij, dumq; exequialia curant,
Munera funereis adjicienda rogis;
Ipſe meos etiam propero proponere fletus:
In tanto luctu qui ſilet, ille ſilex.

GVALT. CONINGSBY *Art. Mag. Equit. aurati filius.*

TV modò, si quid habes lacrymarũ, funde Camœna,
Atq; feri mœstâ pectora nuda manu:
Quis Natum, nisi mentis inops, in funere Patris
Flere vetat? pietas quæ iubet, ista decent.
Quid iuvat heu firmum Petræ de nomine nomen
Ducere? cum Petri terra cadaver habet.
Quid iuvat ingenium? quid prosunt stemmata? *Petrus*
Cum sapiens tenues solvitur in cineres.
Sunt quibus ingenium, sed non prudentia Petri.
Pelix, qui ex vno didicit vtrumq; viro.
Queis Deus est Pluto, facile est acquirere nummos,
Augere & census, & sine fine greges;
Pascere latrantes stomachos, dare iura propinquis
Hospitii, & Musis ædificare domos:
Re facit incolumi, quis sic, nisi Petrus, & ille
Quem Deus ad tantum tam benè finxit opus?
Defleat exemplum gens Anglica, ploret ademptum,
Clara domus Musis qui fuit aura suis.
Sit (petimus) natis vitæ, morumq; Magister,
Nulla parem terris hora, vel ora dabit.

NIC. TOOKER, *Art. Mag.*

EXtremum hunc *Petræe* tibi deposcis honorem?
Meq; tuos casus carmine flere jubes?
Non ego tam chari capitis præconia possum
Dicere, vix tanti Musa Maronis erat.
Patria, posteritas, inopes, Ecclesia, Musæ,
Conclamant, Perijt vir bonus, atq; pius.

Ac

At mihi nunc lato laudum decurrere campo
Non libet, hoc vnum dicere, jure libet;
Non peperêre virum vel fecla priora, priorem,
Nec parient posthâc posteriora parem.
Flete ergò Angligenæ, *Petræum* flete peremptum,
Talem qui nolit flere *petreus* erit;
Oxoniæ mœrens Academia flere memento,
Nam tibi Mecænas, & philomusus erat.
Tu quoq; præ reliquis domus ô *Petræa* petrinas
Effundas lacrymas in nova damna novas.

IO. DVTTON *Armig. filius natu Maximus Art. Bac.*

LAmenta accipias (Baro Illustrissime) ab illo,
Qui minimos inter vult tamen esse aliquis.

IOH. BOLNEY *Armig. fil. vnigenitus.*

DIsplicuit Parcis (quid enim non displicet illis?)
Musarum domui, te superesse Petram;
Ergo *Petreie* secant tua candida pensa, putantes
Si Petra tanta ruat, corruet ipsa Domus.

Has tamen falli video secando
Pensa *Petreij*: ruitura non est
Sacra Musarum Domus, alter istam
Sustinet Atlas.

BEVILL GRENVILE *Equitis filius vnigenitus.*

MVsarum tantum qui non vult flere *Patronum*;
Eruat huic ambos Bubo siniſtra oculos.

HEN. CAREY *Equitis filius natu max.*

STemmata qui jactant ſunt multi; ſtemmata laudo:
At qui ſic jactant, dic mihi quid faciunt?
Non illâ è glebâ præclarus *Baro Petræus*;
Quid fecit, referunt *Exonidum lacryma.*

THO. CAREY *Equitis filius.*

QVis mihi continuos lacrymarum ſuggeret imbres,
Deflerem vt tanti triſtia buſta viri?
Quæ mihi ſublimis ſuſpiria tot dabit aura,
Quot retinet Boreæ frigida barba comas?
Quod mihi de ſummo numen deſcendet Olympo,
Divinam miſero quod mihi reddet opem?
Nullæ ſufficient lacrymæ, nulla aura dolenti;
Sunt etiam precibus numina ſurda meis.
Occidit illuſtris *Petræus*, & occidit ingens
Gloria, & *Exoniæ* magna Columna ſuæ;
Petræus cecidit, quis non niſi Tygride natus
Fletibus illius mœſta ſepulchra rigat?
Sanè ego vitales dum mens ſpiraverit auras,
Huic reddam lacrymas & memor hujus ero.

ROB. OXENBREGGE *filius*
Equitis natu max.

Tri-

TRistis Musa, tuos tristes renouato dolores,
Et gena lacrymulis sit madefacta tuis.
Mortuus ecce jacet generosâ stirpe *Petreus*,
Et Patris & patriæ gloria summa suæ.

RICH. SEYMOVR *Baronetti filius è Coll. Exon.*

CArmina cum videam passim fudisse Poetas,
Luctus amorq; mihi, Carminis instar erunt:
Sátq; mihi visum nomen dixisse *Petræum*,
In quo, quicquid habet Musa diserta, latet.

THO. GLANVILE *è Coll. Exon. Iudicis filius.*

Anagramma.

{BARO PETRAEVS}
{ARTE SVPERABO.}

ARte inquis superabo? quid? eccum jam superâsti
Mortales: numquid quod superes supereſt?
Ars mea, mors mea, quâ victis mundi hostib', ipsos
Victor eo ad superos, sic superabo polos.

ARTH. BASSET *filius Equitis natu max.*

QVùm priùs *Exonidum* venisset rumor ad aures
Petræum Musis heu perisse suis:
Stabat in incerto rumor vivimè peritnè:
Petræum in vivis hic negat, alter ait.
Quisq; suis votis voluit meliora, sed heu
Vota Deo obtulimus nos licèt, ille perit.

Sta-

Stabit in incerto rumor non amplius, ecce
Perpetuam vitam sic pereundo, parat.

PETRVS SPECCOT *Equitis filius nat. max.*

Splendida nemo tibi condat monumenta (*Petræ*)
Mausolea struat nemo *sepulchra* tibi.
Non opus ædificet quisquam mirâ arte *Colossos*,
Aut sculpat laudes ære (*Petræ*) tuas.
Dum reliquum lapidem Domus *Exoniensis* habebit,
Te lapis hic dominum dixerit esse suum.

PAVL. SPECCOT, *Equit. fil.*

QVis meis fundet lacrymas ocellis?
Quis dabit questus minimo clienti?
Dum tuam mortem fleo proh dolendâ
Clare *Petræ*!

Præferat vultus, gemitusq; tristes,
Turba Musarum, cieant querelas
Nobiles quotquot: grave namq; damnum
Cessit vtrisq;.

Sed queri vanum est; lacrymis favete,
Nam quies illi placet, & laborum
Finis optatus. Generosa proles
Excipit Illum.

DON COTON *Armig.*
fil. vnigenitus,

Quel-

1

Quelques uns ont baſti, des monuments ſuperbes.
Parainſy ont acquis, un nom perpetuel:
D'autres, par leur ualeur, ont portè iuſques au ciel,
Et leurs faicts, & leur nom, non fleſtris comme herbes.

2

Mais ſi d'aucun Seigneur la uertu memorable,
Doit eſtre immortelle, à la poſteritè.
C'eſt le Baron Iehan Pierre, *qui a bien meritè*
Pour ſes biensfaicts, d'eſtre à nous perdurable.

3

Il n'a beſoing des mains induſtrieuſes,
Qui luy baſtiſſent des ſumpteux monumens,
Sa pietè, ſes biensfaicts, enuers les doctes gens,
Ont baſti ſon tombeau, dans ces pierres pretieuſes.

4

Honorable Baron, *Tu n'es pas abbatu:*
Malgrè la mort, tu t'es acquis la vie:
Tu t'es uaincu, & toy meſme, & l'enuie,
En conſacrant tes faicts à la uertu.

Haud nos immodico gemitu, lacrymiſvè dolemus,
(Namq; hoc humanum eſt) te potuiſſe mori.
Lætamur potiùs, quòd tot tibi nomina ſurgant;
Vt, letho invito, ne moriaris, habes.
Ingentiq; animo, atq; tuâ virtute merendum eſt,
Quicunq; æterni nominis eſſe cupit.

I. VERNVLIVS *Burdegalenſis in Art. Mag. Montalban. ponebat.*

בבר כל צדיקים אנשים
אשר נא מת אמרן ספרים
אשר חדיה היה כאין
רבעל חלקה רחיין
ומת ינח ארתרת עגבים
חסדים פא לבר צתרנים
אשר יחדש זכרון : רבמר
גויה יהיה עם נציבר
רחיה יהיה בערבות
אוי הלרל יצאצ ארמות

PHIL. TINGCOMB *Art. Bac.*

PRoh dolor! *Exonidum* patitur quã Phœbus eclipsin,
Mœstaq; quàm Domus est, Præsulis Aula pij?
At caput attollit densis è nubibus alter
Phœbus, qui magni luminis instar erit.

BARTH. PARR *in Art. Bac.*

Anagram.

Iohannes Petreus Baro.
In re honestâ superabo.

EN didici mala quæq; pati, sed vincier illis
Non potui: grata est falx tua (Parca) mihi.
Falx tua grata mihi est, quippe IN RE semper HONESTA
En SVPERABO, tuos respuo (Parca) dolos.

Petra velut medijs stetit hic *Petreus* in vndis,
Stetq; (precor) veluti *Petra Petræa* domus.

IO. BVRT.

Epi-

Epigrammata.

In Diem Luna quâ obijt, & in illius morbum ſc. Pthiſin.

HVmida ſola ſolet diſponere corpora Luna,
Sicca Pthiſi quæ ſunt corpora, miſſa facit.

In illius Inſignia.

Vnda, aer, terra, hæc tibi dant in honoribus; aer
Cornicem, pelagus pectina, terra roſas;
Hæc aer, terra, vnda dabant Inſignia vivo,
Defuncto præſtet, quam cupis, ignis opem.

In illius Inſignia, quòd nuperrimè Cornicem excluſerunt.

Quid quòd Corniceem nuper tibi ſigna negârunt,
Ipſa cui longum vivere Parca dedit?
Credo tuæ mortis quaſi præſcia mœſta volavit,
Nuncia ad æthereos (te moriente) Deos.
Sic qui Cornicis fueras mala fata ſequutus,
Secula cornicum vivere dignus eras.

In illius Inſignia, quòd nuperrimè Roſas excluſerunt.

Cur tua ſigna Roſam nollent permittere? credo
Conveniens poterat nil magis eſſe roſâ;
Dulcibus illa tuis complevit odoribus orbem,
Atq; emblema tui dulce laboris erat:
Quin abijt nuper (nec jam tibi cura laborum eſt)
In feretrum, vt dulci fragret odore, tuum.

In Insignia exclusa, & reservata.

Terra aerq; tui discessus præscia fructus,
Ponere cum velles, deposuere priùs,
Vnda tamen mœrens, non sic tua Signa relinquet,
Vt pro te lacrymis humida quæq; daret.

Io. Baker.

DIgnum laude virum vetat obdormire perennis
Musa; quid hoc? famâ, corpore siue mori?
Arte Senem medicâ si non tuearis Apollo,
Carmine defendas, carmine vivus erit.

G. Dvtton, *Armig. fil.*

Anagramma.

{Baro Petraevs}
{*Per ora beatus.*}

P ossint si quemquam testari facta beatum,
E t sua felicem si benefacta virum:
R ectè ô quàm signant te facta (*Petræe*) beatum!
O quam felicem te benefacta virum!
R itè anagramma, *Petræus Baro per ora beatus*,
A ssignat nomen (clare *Petræe*) tuum.
B landula veriloquæ vitant encomia Musæ,
E t mea vera cupit Musa modesta loqui.
A t quibus ô possit veras expromere dictis
T antas & laudes (*clare Patrone*) tuas?
V ivus eris, nostra & (*Petræe*) *per ora beatus*:
S ic tibi nomen erat, nec minùs omen erit.

N. Lyde *Gen.*

Ad

Ad Illust. Baronem Guli. Petreum.

COrnices aquilæ non generant, neq;
Spina ex Palladiâ provenit arbore.
Nec clarus genuit te Pater vnicè
Gnatum dissimilem sui.
Sis tu semper avo, sis similis Patri
In te nec tituli sic pereant sui
Qui mites fuerint semidei, & Domus
Fulgens *Exoniæ* decus.
Sic vltra astriferos fama feret polos,
Sic tecum meritas *Exoniæ* preces
Duces, & decus, & præmia gloriæ
Virtus contribuet tua.

Ad Illust. Catharinam *Baronis* Petrei *vxorem*,
& Comitis Wigornienſis filiam.

Anna, Maria, duæ *Charites*, & sacra fuêre
Sydera in *Exonio* semper habenda polo.
Tu *Catharina Annam, Catharina* imitare *Mariam*,
Perfectus *Charitum* fiat vt iste chorus.
Dum nos foverunt famam genuêre perennem;
Fama tua vt vivat, nos *Catharina* fove.

BARN. GRENVILE *Coll. Exon. Armig. fil.*

SI possent gemitus mei cupressum,
Aut suspiria nostra jura fati
Lapsi avertere, fontis instar alti
Æternis lacrymis meum fateretur

Pectus, nec cataracta rara noſtris,
Hîc inſerviat vnus aut ocellis
Rivus: ſed Thamiſin licèt valeret
Quiſquam flendo novam dare, aut abyſſum,
Nequaquàm tamen hæc darent *Petræum*:
Ergo cum lacrymæ nequeant Camœnis,
Illum reddere morte jam peremptum,
Noſtri eſt officii bonam *Petræi*
Et famam, & benefacta, longa ſeri
Mundi in ſecula, menti habere fixa &
Semper ſculpta perenni, vt hoc *Petræi*
Nomen cuncta per æva ſit beatum.

ROB. FORTESCVE, *Armig. fil.*

VNica magnificos invenit filia Patres,
Quorum quiſq; ſuis dotibus auxit eam.
Prima *Stapuldonus* poſuit fundamina clarus,
Præſulis in Muſas mens ea larga fuit.
Aula Stapuldoni dicta eſt hinc pulchra Patroni,
Splendida magnifico filia digna Patre.
Cenſus inde ſuos *Staffordus Epiſcopus* auxit:
Et ſedes Muſis addidit ille duas.
Tertius his (quamvis nulli bonitate ſecundus)
Fundamenta auxit noſtra *Petræus Eques*.
Heroici ſtupeo nomen memorare *Petræi*;
Prodigus in Muſas ſic fuit ille ſacras.
Filius inde premens clari veſtigia Patris:
Non minùs iſte pius, quàm fuit ille priùs.

Elu-

Elucebat enim nullo magè nomine, quàm quòd
Musarum verus fautor, & altor erat.
Alter erit similis (sperog;) *Petræus* & alter,
Alter Mecænas, alter & altor erit.

G. PVDSY, *Armig. fil.*

SI satis antiquos Satrapas fit sculpere, ligno
Insculpam laudes (magne *Petræe*) tuas:
Sed sæpè in ligno fit vermiculatio, deinde
Quicquid habet lignum vermis iniquus edit.
Quod nequeat ligno, saxo fit; marmore demùm
Insculpam laudes (magne *Petræe*) tuas:
Marcescet tandem longo sed tempore marmor,
Quo pereat magni gloria celsa viri.
Quòd si marcescens marmor non sufficit, ære
Insculpam laudes (magne *Petræe*) tuas:
Ast æs corrumpet damnosa putredo, nec istud
Est dignum famâ (magne *Petræe*) tuâ.
Ergò ego Musarum fastis tua gesta reponam,
Hîc vermis, marcor, nulla putredo, nocent.

NIC. BATTERSBY *Armig. fil. nat. max.*

VUlgò quæ dantur, nostris ea dantur amicis,
Nemo dat ignotis præmia larga viris.
Ignotis *Petræe* viris tu dona dedisti;
Nota Deo tua sunt hinc benefacta magis.
O quanta est pietas, Musas nutriisse novenas!
Petræus nutrijt, quàm pius ergo fuit!

O

O quanta est bonitas sedes struxisse Camoenis!
Petræus struxit, quàm bonus ergò fuit!
Quis nisi cœlestis sublimem scandet Olympum?
Petræus talis, scandat is ergò polum.

R. Iacob. Aysshe *Armig. fil. vnigenitus.*

CVra levis loquitur, stupet ingens: parcior ergò
Quò sit, eò major (magne *Petræe*) dolor.
Parvus ego luctus intra me comprimo; luctus
Dicere namq; fat est, Magne *Petræe* cadis.

Tho. Edwards *Armig. filius.*

CAndidæ blandis taceant Camœnæ
Cantibus, nullæ tumeant Poetis
Laudibus chartæ: remanebit actis
Ipse *Petræus*.

Rog. Edgcomb.

Dialogus inter Collegium Exoniense & Spem.

Exon. QVæ modò fistinuit nostros firmissima muros,
Sicut Atlas humeris sydera, *Petra* cadit:
Spes. *Petra* cadit? poteruntne quidē nunc stare colūnæ?
Stabit subtractis stella coruſca polis?
Ne dubita, *Petræus* adest post fata superstes,
In cujus regnat flore paternus honos.
Exon. Spésne mihi tandem remanet post tanta superstes?
An *Petræus* adhuc vivit in orbe cinis.

Ergò

Ergò ſperandum. *Sp.* ſub nomine magna *Petreo*
Spes jacet, *Exonidum* grande viretq; decus.
Exon. Tu mihi ſolamen felix ſpes magna parentum
In te (clare Baro) ceerno vigere patrem.

R. BETTON *Armig. filius.*

NIſimul in lacrymas diſſolverer inter amicos
Triſtia qui celebrant funera (Baro) tua;
Quis tam mentis inops, qui me deſumier vndis
Cogiret ê mediis, vt ſonat hîc *PRIDEAVX *Art. Bac. Gen.*

* Sonat Gallicè ſumptus ex aquis.

{IOHANNES PETRÆVS}
{*Spes non habet viâ.*}

CÙm tua non poterit mediis conſiſtere terris
Spes, petit æthereas, te rapiendo, domos.

M. BLAKE.

Epitaphium ad viatorem.

QVid tu *Petræum* terrâ mirare ſepultum?
Ad centrum lapis hic, quo requieſcat, adit.

De rumore mortis eius mortem antecedente.

Cur incerta dies fuerit, quâ mortuus eſſes
Dic? generis dubij eſt ancipitiſq; dies.

De die in quo obijt.

Quòd *Petræe* die Lunæ expiraveris, omen
Præſagit lacrymas: Luna gubernat aquas.

Epigram.

Ad Petreum, quòd Sole occidente moriebatur.

Erubuit vesper cur te moriente? futurum
In cœlo majus sydus Apollo rubet.

Exoniensis Domus.

Parva fui, sed firma fui, dùm petra manebat;
Labenti petrâ, spes quoq; lapsa mea est.

SAM. MOYLE è *Coll. Exon. Art. Bacc.*

Anagramma.

IOHANNES PETREVS BARO
An beatus honore peris?

SIc splendore peris tanto felicitèr auctus?
Legibus & fati subijcietur honor?
Non moreris, sed quæris Avos, sobolemq; relinquis,
Musam & *Petræis* laudibus, *Exonidum*.
Cuncta renascentem videant sic secla *Petræum*,
Mortuus est nobis vnus, at alter erit.

G. HARRIS.

Ἰωάννης Πετραῖος.
Αναγραμ.
Ὦς πάτηρ ἐνναίοις.

Οὐρανὸν ὦς τε πάτηρ ναίοις κύδιστε Πετραῖε,
Ἐστὶν ὁδὸς Χριστὸς σοὶ καὶ ὁδηγὸς ἅμα.
Πατρίδα γὰρ λείπων, βαίνοις ἔπι πατρίδα γαῖαν,
Σοὶ ὅρατος γίνεται οὐρανὸς, ὦς τε πάτρι.

Τέ-

Τοῦνομ' ἐν ὁπλοτέροις, πέλεται σοὶ ἀστὺ ἐν ἄστροις,
Σοὶ δὲ πάτρις πάτρος, τοῦνομα καὶ δὲ πάτρος.

Ιωάννης Πετραῖος.
Ανάγραμ.
Αἶ αἶ ὣς τέρπνος ἦν!

Αἶ Ὣς ἦν τερπνὸς Πέτραῖος!
Κάλλιστος, φέρτιστος, λῶστος,
Κύδιστος, κήδιστος, χρῆστος.
Αἶ Ὣς ἦν τερπνὸς Πέτραῖος!
Μήστωρ ὣς Νέστωρ Πέτραῖος,
Ὣς Νέστωρ ἵστωρ Πέτραῖος,
Τοῖος τοιοῦτος Πέτραῖος.
Αἶ Ὣς ἦν τερπνὸς Πετραῖος!
Αἴνῳ καὶ νῷ Νέστωρ ἄυτος,
Ὅρμῃ ῥώμῃ Νέστωρ ἄυτος,
Ἄκμῃ μύθῳ Νέστωρ ἄυτος.
Αἶ Ὣς ἦν τερπνὸς Πετραῖος!
Ἀκμήτης ὣς Νέστωρ ἄυτος,
Ὣς Νέστωρ ἄκμητος κεῖνος,
Πρὸς μυθεῖν πρὸς θυμεῖν καλῶς,
Αἶ Ὣς ἦν τερπνὸς Πετραῖος!

R. TAYLOR.

Anagram. { IOHANNES PETRÆVS. *Spes tuæ in honore.* }

SPes in honore fuit, non est, quia jam tibi, summis
Cœlis optato perfrui honore, licet.
Iste spei finis fuit vltimus, hunc es adeptus:
O felix! tibi quòd talis habetur honos.

FERD. CARPENTER.

Anagramma.

{IOANNES PETREVS BARO.
Re, Pio (bone) natus eras.
Re Piâ (bone) notus eras.}

NOsse tuas laudes non est opus indice vate,
Qui cupit, aspiciat nomen, & omen erit.
Ipse *Pio (bone) natus eras* non nomine tantùm,
Sed *re*: sic nomen dat, perhibetq; tuum.
Laudis principium est, quòd sic ab origine pendet:
Laus hæc summa, *Piâ re (bone) notus eras.*
Principium, medium, finis quoq; laudis habetur;
Quòd benè *natus eras*, quòd benè *notus eras.*

I. MAYNARD, *Coll. Exon.*

NVper ego *Exoniæ* lactandus ad vbera matris
Veni: nec fugit fama *Petræa* tamen.
Vix mihi nota satis quæ plenis munera palmis
Inclyte fudisti: magna sed esse scio.
Et licèt ignoto præmagnos spondeo luctus,
Nec tamen heu fatis arbitror esse pares!

I. BLACKWELL.

QVòd cunctis natale solum risisse videtur,
Hoc mihi lugubris funeris instar erit.
Heu cecidit patris ipse mei, Patriæq; *Patronus*;
Ecquis cum ploret patria, flere vetat?

CALEB COLLINS.

Se-

SEria fata ruunt, vtinam sic sera fuissent,
Cerneret vt longos vita *Petræa* dies.
Heu jacet *Exoniæ* fulcrum prænobile Matris,
Exemplum juvenum grande senúmq; decus.

NIC. HVNT.

EEquis marmoreas, quum murus ahenus ab alto
Corruat, expectat sistere posse, Domus?
Sic pius *Exoniæ* quas struxit Episcopus, Ædes,
Si ruis, istarum petra, *Petræe*, ruunt.

GVLIEL. BVCKLAND.

SAt famæ vixit celebris, vixitq; *Petræus*
Sat fato, largus sat, satis atq; pius.
Pax est spiritui; pia nunc tegit ossa sepulchrum,
Ossa diu lacrymis flenda, dolenda bonis.

ANTH. STRAVNGE.

CCœlum animam, mundus famam & pia facta *Petrei*,
Virtutes nomen, cetera terra tenet.
De spolijs igitur quid tellus dura triumphas?
Dum cœlo vivit mens sua, fama solo.

RODOL. MICHEL *Coll. Exon. Armig. filius.*

PErdidit & peperit nostrum natura *Petræum*;
Dulcis amica suæ, & vitæ inimica fuit.

Eripuit quicquid dederat natura *Petræo*,
Quam dederat virtus, fama perennis erit.

RICH. ESTCOT *gener. Coll. Exon.*

DE durâ ſumit *Petreus* nomina *Petrâ*:
Ille tamen nobis non petra, gemma fuit.
Gemma pijs Muſis: Muſarum hinc turba *Petreum*,
Cum ſua ſit ſplendens perdita gemma, gemet.

MICH. VIVIAN *gen. Coll. Exon.*

FOrtè viâ ibam regali, circumſtrepit intùs
Neſcio quæ dea Ate, luget is, ille gemit.
Sciſcitor: amitti doluit pia turba *Petræum*,
Nec lacrymas curat ſiſtere mœſta ſuas.
Audito: dixi mecum; num fata manebunt
Sceptrigeros? ſcandunt culmina, fata, Iovis?
Emoriuntur ait, fera, ferrea, ſacra, prophana,
Terreni ſubeunt aſpera fata, Ioves?
Ah, potuere tua aut mea vota lat nec tua poſſunt
Nec mea dixi, vnum eſt vivere ſorte mori.
Incaſſùm ingemino *Petræi* funera, functis
Cum faciunt fato, nulla piacla, ſatis.
Spes tamen *Exoniæ* eſt: *Mecænatemq; Petræo*
Amiſſo ſimilem, gaudet habere *Mæro*.

IO. MERVIN.

Pange

Pangere quem nec Apollo ſatis, nec pingere Apelles,
En jam *Petræum* plangere quiſq; poteſt.

Eiuſdem Epitaphium Ænigmaticum.

Hinc ſatus, hìc ſitus eſt: hinc editus, inditus hìc eſt:
Atq; pater Matris filius atq; ſuæ.

Patronum, patrem, petram, ſchola, patria, tectum,
Defunctum, demptum, exciſam, cupit, expetit, optat.

Chronogram.
DoMInVs Iohannes PetræVs Baro Ceſſit.

Augurium à titulo quis crederet eſſe petendum,
Ac omen ſecum nomina ferre ſuum?
Terminus hîc vitæ eſt? ô ſi *Petræe* fuiſſet
Ætatis numerus terminus ille tuæ!

In Eundem.

Τοῦ ἀυτου ἐγκωμιαστικον.

En	Ceſſit	Conſtans,	Mecænas,	Vir quoq; Clarus,
Ceſſit	prudẽs,	doctus,	juſtus,	fortis, amator,
Conſtans,	doctus,	maxima	genti	gloria ſemper.
Mecænas,	juſtus,	genti	vir	deniq; amatus.
Vir quoq;	fortis,	gloria	deniq;	patriæ, honorq;,
Clarus,	amator,	ſemper	amatus,	honorq; ſuorum.

Ad matrem Exoniam de Inſignibus.

En Claves, & Aves, duo Signa inſignia, quorum
Præſulis illa ſacri, Conſulis illa pij.

In Cornices in Insignibus Petræi depictas.

Tarpeio residens sacrato in culmine cornix
Est benè non potuit dicere, dixit *erat*.

Damna creant alijs scopuli, petræq; sed vna est
Nobis inverso nomine *petra Pater*.

Ad defuncti manes.

Qui terrâ tectum te non deploret, eundem
Indeploratum barbara terra tegat.

R. TAYLOR *Coll. Exon.*

SAcra, tuos, lacrymis vultus perfunde Minerva;
Artis honos, Martis fama, *Petræus* obit.
O si *Petræos*, qualis fuit ille *Petræus*,
Producant, plures, secla futura, pares!

T. BRADFORD, *Coll. Exon.*

NVlli (quæso) meo quærant in Carmine carmen,
Intra metra meus non cadit æqua dolor.
Si quærant, alibi quærant, placitura legenti:
Lectori, studui displicuisse, meo.
Scilicet humanum non est, in morte *Petræi*
Aut placuisse aliis, aut placuisse mihi.

G. BASSIAN *Coll. Exon. Art. Bac.*

Nuper

NVper (ab ignivomo cùm vergens plaustra Leone
Phœbus, & immensus stellatæ Virginis ora,
Flammiferumq; rotans temonem, flectit anhelos
Quadrupedes, quâ se gyrans sinuosus in arcum
Scorpius immensum, longo curvamine torquet)
Tempus erat (quo non toto infelicius anno)
Autumni, statuit quo Rex hominumq; Deúmq;
Iupiter, *Exonij* vindictam inducere Musis
Lethaliq; (nefas nomen recitare!) *Petræum*
Vulnere confossum supremâ obvolvere nocte.
At si cum vobis (Superi) mea verba valerent,
Dicite vos causam, quo tandem numine læso,
Quidvè tonans Rector mundi, sic fata tulisse
Impulit innocuum? tanta est cœlestibus ira?
Obstupuêre omnes; tum longa silentia rumpens
Iupiter, æthereâ sic est affatus ab arce:
Heu video, video, tanto quàm indigna patrono
Exonia est, ingrata illi quàm turba Sororum;
Tollere stat nobis ergò cœloq; locare:
Inviolata mihi non sunt revocanda statuta,
Quæ semel instituí; lex est adamantina, vincta
Cui regum tàm sceptra, ligo quàm pauperis Iri.
Dixerat; at telum rapit impiger ille trisulcum
(Telum quo Tellus, cœlum, Styx ipsa tremiscit)
Inq; manu vibrans, percussit terq; quaterq;
Vasta tridente suo camerati cærula cœli;
Territus hoc, Iovis alatus volucerq; Pedester
Mercurius volat, obductas qui remige scindens
Pennarum nebulas, quid sit Iovis alma voluntas
Explorans, ad quem magno sic intonat ore.

Sole hæc Signa perlustrãte Autumnus properat.

In Cornices in Insignibus Petræi depictas.

Tarpeio residens sacrato in culmine cornix
Est benè non potuit dicere, dixit *erat*.

Damna creant alijs scopuli, petræq; sed vna est
Nobis inverso nomine *petra Pater*.

Ad defuncti manes.

Qui terrâ tectum te non deploret, eundem
Indeploratum barbara terra tegat.

R. TAYLOR *Coll. Exon.*

SAcra, tuos, lacrymis vultus perfunde Minerva;
Artis honos, Martis fama, *Petræus* obit.
O si *Petræos*, qualis fuit ille *Petræus*,
Producant, plures, secla futura, pares!

T. BRADFORD, *Coll. Exon.*

NVlli (quæso) meo quærant in Carmine carmen,
Intra metra meus non cadit æqua dolor.
Si quærant, alibi quærant, placitura legenti:
Lectori, studui displicuisse, meo.
Scilicet humanum non est, in morte *Petræi*
Aut placuisse aliis, aut placuisse mihi.

G. BASSIAN *Coll. Exon. Art. Bac.*

Nuper

NVper (ab ignivomo cùm vergens plaustra Leone
Phœbus, & immensus stellatæ Virginis ora,
Flammiferumq; rotans temonem, flectit anhelos
Quadrupedes, quâ se gyrans sinuosus in arcum
Scorpius immensum, longo curvamine torquet)
Tempus erat (quo non toto infelicius anno)
Autumni, statuit quo Rex hominumq; Deûmq;
Iupiter, *Exonÿ* vindictam inducere Musis
Lethaliq; (nefas nomen recitare!) *Petræum*
Vulnere confossum supremâ obvolvere nocte.
At si cum vobis (Superi) mea verba valerent,
Dicite vos causam, quo tandem numine læso,
Quidvè tonans Rector mundi, sic fata tulisse
Impulit innocuum? tanta est cœlestibus ira?
Obstupuêre omnes; tum longa silentia rumpens
Iupiter, æthereâ sic est affatus ab arce:
Heu video, video, tanto quàm indigna patrono
Exonia est, ingrata illi quàm turba Sororum;
Tollere stat nobis ergò cœloq; locare:
Inviolata mihi non sunt revocanda statuta,
Quæ semel institui; lex est adamantina, vincta
Cui regum tàm sceptra, ligo quàm pauperis Iri.
Dixerat; at telum rapit impiger ille trisulcum
(Telum quo Tellus, cœlum, Styx ipsa tremiscit)
Inq; manu vibrans, percussit terq; quaterq;
Vasta tridente suo camerati cærula cœli;
Territus hoc, Iovis alatus volucerq; Pedester
Mercurius volat, obductas qui remige scindens
Pennarum nebulas, quid sit Iovis alma voluntas
Explorans, ad quem magno sic intonat ore.

Sole hæc Signa perlustrãte Autumnus properat.

I, pete Cœlicolas & ſancta Palatia Divûm,
Conciliumq; voca: Tenuit mora nulla vocatos;
Ocyùs agglomerant omnes ad tecta Tonantis,
Quos procul aſpiciens, ſummo compellat ab axe.
Vos hic accêſtis, quæ ſit ſententia veſtra
Vt mihi conſtaret; manet irrevocabile fatum
Quodcunq; impoſui: quid ſit vos dicite Muſæ.
Eſt locus inſignis famâ, cantata trophęis
Patria, dives agris, vetus eſt cui Eſſexia nomen:
Illic conſurgit caput inter nubila condens
Petræi tectum, (cumulus ſacratus honori)
Quo jacet *Exonij* Muſis ſpes magna *Petræus*
Æger, terreniq; gravis ſub mole laborans
Corporis, hunc volui feſſis exolvere vitæ
Humanæ vinclis, & mecum ferre per aſtra.
Annuit his Divûm cœtus, plauſuq; probabat.
Audierat poſtquam ſummâ hæc Saturnius arce
Accerſit Maiâ natum, ſua juſſa per orbem
Ferre, citò properat; cui magnus Rector Olympi
Talia præcepit; Pete terram, corpore languet
In qua *Petreus*, lethaliq; obrue fato.
Iuſſa Iovis ſequitur: mora nulla; ſed aduolat ille
Ad Mortis cellam, ſpecus ingens, vndiq; fumo
Obſcurum, ſedet hic monſtrum deforme cubili,
Pro pedibus pennæ, pro cruribus oſſa patebant,
Tibia nuda fuit, coſtæ pro ventre ſequutæ;
Non procul hinc morbi Domus & penetrale ſenectæ,
Hîc tabo languorq; jacent, hîc Cura Dolorq;
Impexos lacerant crines & viſcera nudant,
Mille patent aditus Domui, quos Nuncius audax

In-

Ingrediens (dixit) fero mecum jussa Tonantis,
Qui volet, oppeteres telo lethale *Petraum*.
Talibus his postquam surdas Mors præbuit aures,
Heu quæ jussa (inquit) mihi sunt peragenda Deorum!
Dixerat; arctatis lunati cornibus arcus
Lurida sanguineâ deprompsit tela pharetrâ,
His armata volat, tristes Heroïs ad ædes,
Quem sic aspiciens Mortis Dea talia fatur;
Invitè en misit tibi me per numina juro,
Perq; has, quas colui liuentia stagna paludes
Iupiter, vt spolians hujus te lumine vitæ:
Cum Jove perpetuæ fruereris limine vitæ.
Nil moror; ô fessæ vitæ mihi terminus adsis!
En nudum pectus! pete telo! dixit vt illa,
Arcum corriperet Mors dextrâ, dextra sagittam
Ter celerem misit, refugit ter missa sagitta.
Tandem (ait) ô felix sis, quam nunc mitto, sagitta!
His telum dictis pectus librabat in ipsum;
Ingemit, heu tenues mensq; evanescit in auras.
Sic is qui fuerat, dum vixit, maximus Hĕros,
Evectus superis, etiam fit maximus Hæres.

SAM. MOYLE *Coll. Exon. Bac.*

PEtreum teneræ dolent Camœnæ,
Petreumq; gemens Apollo luget;
Petrei has lacrymas damus sepulchro
Tristes *Exonij*; quod alma virtus
A nobis simul exiget Petrei
Defuncti officium; dolemus omnes.

Sed mi maxima causa lacrymandi est,
Nam mitis pater & patronus almus
Petreus mihi (dum fuit) remansit.
Tristes hinc igitur dolent Camœnæ,
Et mœrens lacrymis Camœna nostra
Petræum gemet; atq; carmina inter
Musarum optima, ponit hæc avenâ
Sylvestri modulata metra, (metris
Obstant lacrymulæ meis obortæ)
Nostro pauca tamen canam *Petreo*,
Quæ trux invidia esse vera dicet;
Præclarissimus omnium fuit; quot
Nunc sunt, quotq; fuêre, solus,
Vel quot post, aliis erunt in annis.

IOH. STANDARD, *Art. Mag. & Baron. Petrai Alum.*

In THRENOS *Exonienses.*

NOmen THRENORVM cur fronte habet iste libell',
In THRENIS concors cùm solet esse sonus?
En gemitus fudêre suos vnâ *Exonienses*:
Concordes THRENI sunt brevis inde liber.
Qui datur ergò brevis, mœstum quia tundere pectus
Non valet, & versus scribere dextra simul.
Pro libitu lacrymas si quisq; dedisset ocellus,
In mare crevissent, quæ modò curta damus.

Arguet officium quicunq; ex carmine nostrum,
(Quamvis nemo benè in carmine flere valet)
Non is respiciat metra, quæ nos edimus, ista,
Sed quot dant cumulos metra relicta domi.

FINIS.